

Respondeo: Concedo totum argumentum. Datur vobis verum corpus eo mode, quem Christus instituit. Modus vero sacramentalis est, talis igitur praesentia, talis phrasis et locutio. Particula „quod pro vobis traditur“<sup>213</sup> additur, vt sit commonefactio de applicatione et de beneficio illius corporis, cuius haec sumptio debet esse σφραγίς. Corpus enim Christi nostrum fit merito et efficacia, et si caecitas est curabilis, monstro illis sanationem. Altera particula manifeste declarat priorem. Neque enim communicatur nobis corporaliter ille sanguis, qui effusus est, sed fit obsignatio, propter nos factam esse eam effusionem. Quare vtrobique non numen, sed sacramentum instituitur et locutiones sacramentales sunt, non vero essentiales aut inusitatae.

II. Achillem sequitur Helena διὰ γυναικῶν.<sup>214</sup> In dictis scripturae semper est retinendum τὸ ῥητὸν, nisi vbi alio in loco expresse ponitur negatiua. Non extat negatiua [74:] huius propositionis „Panis est verum corpus.“ Ergo vera est propositio. Respondeo. Nego minorem. Quia tres articuli fidei eam negant et omnia dicta illorum articulorum: 1. Christus retinet verum corpus. Ergo corpus spoliatum omnibus proprietatibus corporis non est corpus Christi. 2. Corpus Christi physica locatione est in coelo et non reddetur nobis ante vltimum diem iudicij. Ergo panis est non essenziale corpus. 3. Ritus ille est sacramentum. Ergo praesentia sacramentalis. Et ita panis non est substantiale corpus, sed sacramentale. Neque delectentur admodum illo improbo effugio, quod propter verba institutionis excipienda sit haec praesentia ex articulis fidei. Nam periculoso exemplo ita relinquitur sermonem diuinum sibiipsi contradicere et ambiguum esse. Eadem opera dicant iustum esse occidere in hoc casu, cum oculus tuus offendit te, quia perspicue monstratur exceptio quinti praecepti.<sup>215</sup> Sed non decet doctores ecclesiae iam petulans sophistica neque vnquam ostendi poterit in sermone diuino esse contradictionem et verba Christi aliter accipienda quam sacramentaliter.

III. Nisi perfricuissent frontem, rogaremus eos, ne in aciem producant Paulum. Nam is fortiter iugulauit τὴν ἀρτολατρείαν. Norunt omnes pij et docti, quid significet κοινωνία et quod non fiat κοινωνία inter panem et Christum, sed inter Christum et hominem, cuius societatis haec sumptio est σφραγίς.<sup>216</sup> Non igitur panis est res, cui vnitum vel communicatum est corpus Christi, quia Christus adest propter hominem, non propter panem. Reatus in impiis, quicquid somnient, non potest esse aliunde nisi ex contemptu. Nulla enim corporalis contumelia Christo iam exaltato fieri potest. Qui amant sinceritatem etiam hoc meminerint: Sacramenta sunt talia in vsu.<sup>217</sup> Iam vsus primus sacramentorum est fidei confirmatio. Qui igitur sunt sine fide, his vere haec

<sup>213</sup> Lk 22,19; I Kor 11,24.

<sup>214</sup> Vgl. Homer, Ilias III, 171, in: van Thiel, Ilias, 53.

<sup>215</sup> Vgl. Mt 5,29; Ex 20,13; Dtn 5,17.

<sup>216</sup> Vgl. I Kor 10,16.

<sup>217</sup> Vgl. Philipp Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 869 (MWA 2/2, 530, 13–22).